

4.- (De spe et angore). Ad tale munus exsequendum, Ecclesiae omni aetate officium incumbit signa temporum perscrutandi et sub Evangelii luce interpretandi. Quo fit ut modo unicuique generationi praxria apto ad perennes hominum interrogaciones de sensu vitae praesentis et futurae deque earum ab invicem relatione respondere possit. Oportet itaque ut mundum in quo vivimus nec non eius expectationes et appetitiones et indolem saepe dramaticam quibus notatur cognoscamus et intelligamus. Principales quidam huius mundi hodierni aspectus sequenti modo delineari possent.-

Hodie genus humanum in nova historiae suae aetate versatur, in qua profundae et celeres mutationes ad universum orbem gradatim extenduntur. Ab hominis intelligentia et creativa industria excitatae, in ipsum hominem recidunt, in eius iudicia et desideria, individualia et collectiva, in eius modum cogitandi et agendi tum circa res tum circa homines, ita ut iam de vera sociali, culturali et religiosa transformatione loquatur.-

Ut in quavis accretionis crisi contingit, haec transformatio non leves secumfert difficultates. Ita, dum homo potentiam suam tam late extendit, tamen non semper ad suam servitium eam redigere valet. Proprii cordis intimiores recessus altius penetrans, saepe de seipso magis incertus apparet. Leges vitae socialis pedetentim clarius detegens, de directione eis imprimenda anceps haeret.

Numquam genus humanum tantis divitiis, facultatibus, potentia oeconomica abundavit, dum tamen ingens pars incolarum orbis fame torquetur et innumeri literarum ignorantia plane laborant. Numquam homines tam acute ut hodie sensum libertatis habuerunt, dum nova interea genera socialis et psychologice servitutis exsurgunt. Dum mundus suam unitatem necnon singulorum ab invicem dependentiam in necessaria solidaritate tam vivide persentit, tamen, viribus inter se pugnantibus gravissime in opposita distrahitur; etenim dissensiones politicae, sociales, oeconomicae, raciales et ideologicae adhuc perseverant, nec periculum belli omnia usque ad ima destruentis deest.-

^{tandem} ~~Sedulo~~ perfectior quaeritur temporalis ordinatio, (^{tamen} vitae ~~autem~~ moralis ratio non raro misere deturpatur.) ^{quia tamen} ~~spiritus~~ ^{tamen} incrementum pariter progrediatur.

Ex tot implexis conditionibus, plurimi coevi nostri difficultatem experiuntur in perennibus valoribus rite dignoscendis nec non in novis exsurgentibus componendis; exinde, inter spem et angorem agitati, de praesenti rerum cursu sese interrogantes, inquietudine premuntur. Qui rerum cursus homines ad respondendum provocat, imo et constringit.-